

vis in materia sint mortalis peccati. Sed hæc sunt venialia per accidens; & ideo adveniente consensu rationis deliberata, efficiuntur mortalia.

Ad primum ergo dicendum, quod veniale non corrumpit virtutem quantum ad habitum (hoc enim mortalis est proprium) sed exit ab æqualitate quam ratio ponit in actu virtutis.

Ad secundum patet solutio per ea quæ dicta sunt: quia procedit de veniali ex eventu: & iterum quod veniale fiat mortale non est inconveniens, sicut etiam quod est bonum ex genere, potest male fieri.

Ad tertium dicendum, quod præcepta legis intendunt hominem ordinare ad dilectionem proximi, & Dei: quia finis præcepti est charitas, I. Timoth. 1. & ideo illa sola mortalia sunt ex genere de quibus dictum est: hæc enim directe fiunt contra præcepta legis, non solum legis scriptæ, sed etiam naturalis. Quamvis autem aliquid non sit malum, quia est prohibitum lege exteriori, tamen ideo est malum, quia prohibetur lege interiori: lex enim interior est ipsum lumen rationis, quo agenda discernimus: & quidquid in humanis actibus huic lumini est consonum, totum est rectum; quod contra hoc lumen est, homini est innaturale, & malum; & pro tanto malum dicitur, quia prohibetur interiori lege.

Ad quartum dicendum, quod affirmatio opposita præcepto negativo est & præter præceptum, & contra præceptum: similiter & negatio opposita affirmativo: sed quædam negationes, & affirmationes sunt non oppositæ directe ipsis præceptis affirmativis, & negativis, sed indirecte, quia disponunt ad ea quæ directe opponuntur: & ideo huiusmodi sunt præter præceptum: hæc enim etiam hoc modo non discordant à lumine rationis ut ab ultimo fine abducentia, sed ut quædam impedimenta finis.

Ad quintum dicendum, quod hoc modo esse proximum medio, vel remotum, ut dictum est, facit peccatum mortale, & veniale, & non sicut objectio tangit; ut sit differentia secundum hoc quod est abduci à fine virtutis, & non abduci; & non solum secundum intensionem, & remissionem circumstantiarum, ut objectio procedit.

ARTICULUS V.

Utrum peccatum mortale, & veniale differant per penam æternam, & temporalem.

1. 2. quest. LXXII. art. 5. & quest. LXXXVII. art. 2. & III. P. quest. LXXXVI. art. 4. & de malo quest. VII. art. 1. & opusc. 3. cap. CLXXXVIII. & Rom. 11. lect. 1.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod peccatum mortale, & veniale non differant per æternam penam, & temporalem. Quæcumque enim finita sunt, possunt habere aliquam proportionem ad invicem. Sed conversio quæ est in peccato veniali, finita est, & similiter quæ est in peccato mortali. Ergo proportionabiles sunt. Sed secundum mensuram delectationis, quæ ex parte conversionis se tenet, est quantitas pænæ: Apoc. XVIII. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & lucrum.* Ergo & pænæ venialis debet proportionari pænæ mortalis; & ita non differunt secundum æternam, & temporalem.

2. Præterea. Secundum quantitatem culpæ est

(1) Al. Forte quos. (2) veniens imbaptizatus. Nicolai: veniens non sit baptizatus.

quantitas pænæ. Sed ille qui peccat mortaliter, non peccat infinito tempore, quamvis in infinitum bonum peccet. Ergo etiam non debet puniri æterna pænâ, sed damno infiniti boni ad tempus.

3. Si dicatur, quod punitur æternaliter, quia peccavit in suo æterno; contra: quia multi sunt qui non toto tempore vitæ suæ in peccati actu perdurant; sed dum peccant, cogitant se quandoque à peccati actu recessuros. Ergo talis secundum hoc in suo æterno non peccavit; & ita non debet puniri æterna pænâ.

4. Præterea. Nullus iudex, nisi sit crudelis, infligit penam quasi delectatus in pænâ, sed propter emendationem. Si igitur Deus est piissimus iudex, non infligit penam pro peccato mortali, nisi propter emendationem eorum (1) quæ punit; & ita videtur quod non in æternum puniat.

5. Sed contra. Videtur quod etiam veniali debeat pænâ æterna. Quia contingit quod aliquis toto tempore vitæ suæ in peccato veniali perduret. Si igitur aliquis punitur æternaliter, ut dicit Gregorius Dial. Lib. IV. cap. XLIV. quia in suo æterno peccavit, videtur quod talis æternaliter puniri debeat.

6. Præterea. Ponatur quod aliquis moriatur in peccato mortali, & veniali: constat quod iste statim ut moritur, ad infernum descendit. Cum ergo veniale non remaneat impunitum, ibi punitur non tantum pro mortali, sed etiam pro veniali. Sed pænâ inferni est æterna: quia in inferno nulla est redemptio. Ergo peccatum veniale æterna pænâ punitur.

7. Præterea. Sit ita quod aliquis ad perfectam ætatem (2) veniat imbaptizatus, in qua jam peccati pænâ reus teneri potest, & in primo instanti illius temporis venialiter peccet, & moriatur: constat quod ille pro peccato veniali punitur. Non autem in limbo puerorum, quia pænâ sensibilis, quæ veniali debetur, non est ibi, nec etiam in purgatorio, quia gratiam non habet, sine qua nulla purgatio peccati esse potest. Ergo punietur in inferno pro veniali, & ita veniale ad mortem æternam obligat, sicut & mortale.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ratio quare mortale peccatum ad æternam penam obligat, potest sumi ex tribus. Primo ex parte ejus in quem peccatur, qui est infinite magnus, scilicet Deus, unde & offensæ illius infinita pænâ digna est: quia quanto est dignior in quem peccatur, tanto peccatum magis punitur. Secundo ex voluntate peccantis. Constat enim quod peccans mortaliter, finem delectationis suæ in eo in quo mortaliter peccat, ponit, ut etiam Deum pro illo contemnat. Constat autem quod quicumque summe diligit aliquid sicut finem suæ voluntatis, ex hoc ipso vellet semper sibi adherere: & ideo peccans mortaliter illo actu voluntatis quo peccatum mortale eligit, eligit peccato semper adherere, nisi per accidens retrahatur vel timore pænæ, vel aliquo huiusmodi; sed si infinite adherere posset, semper adhereret: & ideo in suo æterno peccat, & propter hoc æterna pænâ est dignus. Tertio ex ipso statu peccantis mortaliter, qui per peccatum gratia privatur: unde cum sine gratia non possit fieri remissio culpæ, si in peccato mortali moriatur, semper in culpa remanebit, cum ulterius non sit gratiæ susceptibilis. Manente autem culpa, semper est obnoxius pænæ; alias remaneret aliquid inordinatum in universo: & ideo

EXPOSITIO PRIMÆ PARTIS TEXTUS.

Quidam dicunt unum esse peccatum, alii vero dicunt diversa esse peccata. Utraque opinio est vera aliquo modo intellecta: quia si accipiat voluntas conjuncta actui, sic voluntas, & actus exterior sunt unum peccatum; si autem sumatur voluntas separata ab actu, sic sunt duo peccata numero, sed unum specie.

Ad quod illi etiam dicunt. Præter istam responsionem, quæ hic ponitur, potest esse alia, quæ in primo articulo posita est.

Præterea solet queri, cum ab aliquo perpetrato voluntate peccato voluntas id agendi, & actio transierit... utrum illud peccatum, usquequo pœnitcat, sit in eo. Cum in peccato non solum sit actus, & reatus, sed etiam macula, videtur insufficienter procedere, cum de macula mentionem non faciat. Sed dicendum, quod macula est medium inter actum peccati & reatum, quasi effectus actus, & fundamentum reatus: & ideo per extrema medium intelligitur.

Nec unquam est in aliquo peccatum actu, præter originale, quin sit etiam reatu. Ratio hujus est, quia actus peccati inordinatus causat maculam, & reatum. Posita autem causa, non potest effectus non esse: & ideo impossibile est ut simul dum actus peccati manet, reatus transeat. Sed quomodo hoc in originali esse possit, supra dictum est.

Duo enim sunt peccatorum genera. Hoc dicitur ad ostendendum quod divisio peccati in mortale, & veniale, non est univoci divisio: quia sic mortale, & veniale dicerentur duæ species peccatorum: sed est divisio analogi, & propter hoc dicuntur mortale, & veniale esse genera peccatorum, quasi non communicantia unum genus.

DIVISIO SECUNDÆ PARTIS TEXTUS.

Modi autem peccatorum varias in Scriptura distinctiones habens. In parte præcedenti determinavit Magister quædam quæ requiruntur ad peccatum, quasi partes integrantes ipsum, hic determinat diversas peccatorum divisiones: & dividitur in partes duas. In prima prosequitur divisionem peccatorum capitalium, ibi: *Præterea sciendum est, septem esse vitia capitalia.* Prima dividitur in duas. In prima ponit quasdam distinctiones peccatorum, quæ sumuntur ex parte rei; in secunda ponit (1) quædam quæ sumuntur ex parte nominis, ibi: *Variam quoque appellationem habet.* Circa primum tria facit. Primo distinguit modos peccatorum penes motiva, sive radices; secundo penes actus, in quibus peccatum consistit, ibi: *Alii vero dicunt, peccatum fieri tribus modis; tertio penes objecta, ibi: Dicitur quoque homo peccare in Deum, in se, & in proximum.*

Præterea sciendum est, septem esse vitia capitalia. Hic ponit distinctionem capitalium vitiorum: & dividitur in duas. In prima enumerat capitalia vitia; in secunda reducit ea in unum principium, ibi: *Ex superbia tamen omnia mala oriuntur.* Et circa hoc tria facit. Primo ostendit superbiæ esse originem capitalium vitiorum; secundo objicit in contrarium, ibi: *Huic autem videtur obviare quod Apostolus ait; tertio solvit, ibi: Sed utrumque recte dictum est.* Circa primum duo facit. Primo ostendit superbiæ esse principium omnium peccatorum; secundo assignat superbiæ species, ibi: *Hujus quatuor sunt species.*

QUÆS-

(3) Nicolai: ut qui nondum usum liberi arbitrii habet, peccati &c. (1) Idem: quasdam quæ sumuntur.

QUÆSTIO II.
HIC quinque queruntur.
 Primo. De distinctione peccatorum quæ sumitur penes radices.

Secundo. De divisione peccatorum quæ sumitur penes actum.

Tertio. De divisione vitiorum capitalium.

Quarto. De distinctione specierum superbæ quæ in littera assignantur.

Quinto. Utrum peccatorum sic distinctorum possit esse æqualitas in gravitate culpæ.

ARTICULUS I.

Utrum peccata distinguantur penes radices.

1. **Ad** primum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter penes radices distinguantur peccata. Radix enim est similis fundamento. Sed peccatum non habet fundamentum, ut dicitur in Glossa (a) Math. vii. Ergo non habet radicem: ergo penes radices non debent distinguere peccata.

2. Præterea. Radix arboris non est arbor. Ergo radix peccati non debet esse peccatum. Sed cupiditas male (1) incendens, & timor male humilians, peccata quædam sunt. Ergo inconvenienter radices peccatorum assignantur.

3. Præterea. Timor ex amore nascitur. Sed illud ex quo nascitur aliquid, potest dici radix ejus. Ergo amor est radix timoris, & ita omnium quæ ex timore generantur; & sic timor contra cupiditatem, quæ est amor, distinguere non debet tamquam radix opposita.

4. Præterea. Quæcumque conveniunt in aliquo uno, non distinguuntur secundum illud. Sed omnia peccata in una radice conveniunt: *radix enim omnium malorum est cupiditas*: I. Timoth. ult. 10. Ergo penes radicem peccata distinguere non debent.

5. Præterea. Augustinus dicit de Civit. Dei (Lib. XIV. cap. xxviii.) quod sicut amor Dei facit civitatem Dei, ita nimius amor sui facit civitatem Babylonis. Sed quidquid est de genere peccatorum, ad civitatem Babylonis pertinet. Ergo omnium peccatorum radix est una, scilicet amor sui; & non est ea quæ hic assignatur.

6. Præterea. I. Joan. 11. 16. dicitur: *Omne quod est in mundo, concupiscentia oculorum est, concupiscentia carnis, & superbia vitæ*: & ex his oriuntur omnia alia mala. Ergo cum ista prætermittantur hic, non sufficienter radices peccatorum tanguntur.

7. Præterea. Eccli. x. 15. *Initium omnis peccati superbia*. Item Ambrosius (b) dicit, quod omne peccatum est ex contemptu: & Augustinus (in Echi. d.) dicit, quod omne peccatum est ex errore. Ergo peccata non videntur distinguere secundum radicem, sed convenire in radice una: & iterum videntur ex prædictis quod radices peccatorum insufficienter in littera tanguntur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod radix proprie in arboribus invenitur, in peccatis autem transumptive: unde oportet quod ad similitudinem radicis in arboribus assignentur.

(1) Al. intendens.

Ex Edit. P. NICOL. (a) In illa nempe verba, *Ædificavit super arenam*. (b) Ex Ambrosio Lib. de Paradiso cap. vii. ex Augustino Lib. II. de lib. arbitri. colligi potest; sed ex neutro expresse.

ribus invenitur radix in peccatis. Radix autem arboris est qua arbor nutrimentum sumit, per quod convalescit, & fructificat. Ex eo autem peccatum convalescit ex quo homo ad peccatum inclinatur. Hoc autem est bonum intentum, ad quod peccans inordinate convertitur, quia finis efficientem movet: unde oportet quod ex parte conversionis radix peccati assignetur, & dicatur radix illud ex quo peccatum oritur. Potest autem actus peccati oriri ex tribus, vel ex alio actu peccati, secundum quod supra xxxvi.

distinct. assignatum est, unum peccatum esse causam alterius; vel ex habitu corrupto eliciente actum peccati; vel ex passione, seu pronitate ad patiendum ex corruptione naturæ consequente. Actus autem peccati non proprie nomen radicis habet, quin potius ipse ex radice est: unde origo peccati ex peccato similatur magis origini rami ex ramo. Similiter etiam habitus proprie acceptus, non potest esse à prima radice peccati: quia cum habitus peccati neque sit naturalis, neque infusus, oportet quod per actum peccati sit acquisitus. Restat ergo ut radix peccati dicatur in nobis vel passio aliqua, vel pronitas ad passionem, quæ ex corruptione originalis peccati consequitur. Cum autem in bonis commutabilibus, ad quæ homo inordinate convertitur per peccatum, sit quidam ordo, secundum quod unus est finis alterius; semper autem ea quæ sunt ad finem, sunt plura quam ipse finis; oportet ut quanto radix peccati sumitur propinquior fini ultimo, tanto inveniantur pauciores radices. Finis autem ultimus in amore commutabilium bonorum est ipse homo, propter quem omnia alia queruntur: & ideo si radix peccati accipiatur ex parte ipsius peccantis, erit una; si autem sumatur ex parte eorum quæ propter seipsum peccans querunt, erunt plures. Similiter etiam appetitus circa bonum commutabile dupliciter se habet: vel sicut prosequens id quod æstimat sibi conveniens, vel sicut fugiens malum, sive nocivum. Malum autem sicut non habet esse, nisi ut privatio boni, ita etiam non fugitur, nisi in quantum diligitur bonum: & ideo fuga mali reducitur ad desiderium boni, sicut in causam primam. Secundum hoc ergo sciendum, quod radices diversimodè à Sanctis assignantur. Quia passio, quæ est radix peccati, vel est secundum inclinationem appetitus in quod est ultimus finis bonorum commutabilium, & sic amor sui ponitur ab Augustino radix peccati: vel secundum inclinationem appetitus in ea quæ propter hunc finem queruntur, & hoc dupliciter: vel secundum inclinationem appetitus in bonum tantum, propter quod malum fugitur; vel secundum comparisonem appetitus ad utrumque. Si secundo modo, scilicet secundum inclinationem appetitus in bonum commutabile, & malum oppositum, sic sunt radices peccatorum, quæ in littera assignantur; scilicet cupiditas male inflammans, & timor male humilians. Si autem primo modo, hoc dupliciter: vel secundum inclinationem appetitus in bonum exterius universaliter; & sic erit una radix, scilicet cupiditas: vel particulariter in diversa bona, quæ sunt triplicia; & sic erunt tres radices, scilicet concupiscentia carnis circa bonum delectabile sensus, concupiscentia oculorum circa bona exteriora in usum ordinata, superbia vitæ circa bona secundum opinionem, ut honor, dignitas, & huiusmodi.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum non habet fundamentum ex parte illa qua aversio est, quia sic nihil est; sed ex parte conversionis, qua aliquid est, radicem habere potest.

Ad secundum dicendum, quod timor, & cupiditas, secundum quod nominant actum peccati, non sunt radices, sed secundum quod nominant passionem, vel pronitatem ad passionem, ut sumatur radix magis remota.

Ad tertium, & quartum, & quintum, & sextum, patet responsio per ea quæ dicta sunt.

Ad septimum dicendum, quod omnia illa sumuntur ex parte aversionis: & ideo proprie loquendo non habent rationem radicis, quia nullus ad malum intendens operatur, ut Dionysius dicit (de div. Nom. cap. iv.) habent tamen rationem initii: propter quod dicitur, quod initium omnis peccati est superbia: quia actus deficientis, in quantum deficientis est, aliquis defectus præexistens initium esse potest. Defectus autem iste præcedens peccatum potest esse vel in ratione dirigente, & sic dicitur omne peccatum esse ex errore, ut error sit idem quod ignorantia electionis, secundum quam omnis malus est ignorans, ut in III. Ethic. (cap. iiii.) dicitur: vel est involuntate imperante actum, secundum quod non in intente, & sollicite inhaeret his quæ Dei sunt; & sic est contemptus, & superbia; secundum quam aliquis non curat subsistere præcepto, vel præcipiente: & sicut unum peccatum est secundum rem aversio, & conversio, differens secundum comparisonem ad diversos terminos; ita etiam superbia hoc modo accepta, secundum quod est initium; & cupiditas, secundum quod est radix, sunt idem secundum rem, & differunt ratione modo prædicto: & propter hoc dicit Augustinus XI. super Genesim (cap. xi. & xv.) superbiam, & cupiditatem non quasi duo mala, sed unum malum esse.

ARTICULUS II.

Utrum peccatum convenienter dividatur in peccatum cogitationis, oris, & operis.

1. 2. quæst. lxxii. art. 7. & quæst. c. art. 5. & 6.

1. **Ad** secundum sic proceditur. Videtur quod secunda divisio quæ in littera assignatur, incompetens sit. Quia ejusdem generis eadem sunt primæ differentiæ dividentes. Sed peccatum est unum genus, saltem analogicum. Ergo inconvenienter tot variis divisionibus distinguitur.

2. Præterea. Affectio plus habet de ratione peccati quam cogitatio, quia ad cognitionem pertinet. Sed ipse de affectione mentionem non facit. Igitur insufficienter dividit.

3. Præterea. Actus exteriores per membra exteriora exercentur. Sed lingua est unum de exterioribus membris. Ergo verbum quod per linguam profertur, non debet dividi contra peccatum operis, quod est peccatum exterioris actus.

4. Præterea. Circumstantia actus non debet dividi contra actum. Sed consuetudo est quædam circumstantia peccati. Ergo non debet dividi peccatum consuetudinis contra peccatum operis.

5. Præterea. Peccatum omissionis quædam species peccati est, quæ sub nullo istorum membrorum continetur. Ergo divisio est insufficientis.

QUÆSTIO II. 10

QUÆSTIO II.

Uterius queritur de alia divisione quæ est per objecta. Videtur enim quod sit insufficientis. Quia in illum peccans peccare dicitur quem ex suo peccato lædit. Sed Deum peccando lædere non possumus, ut dicitur Job xxxv. 6. *Si peccaveris, quid ei noceris? & si multiplicata fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra illum?* Ergo dicitur inconvenienter aliquis in Deum peccare.

Præterea. Illud quod est ratio diligendi, non potest odio haberi. Sed homo est ratio diligendi respectu sui ipsius: quia nihil homo diligit, nisi in quantum est bonum sibi. Ergo nullus seipsum habere odio potest. Sed in illum peccamus quem odio habemus. Ergo nullus in seipsum peccat.

Præterea. Peccatum charitati opponitur. Sed in præceptis charitatis non datur distinctum præceptum homini de dilectione sui, sed includitur in dilectione Dei, & proximi. Ergo non debet poni unius determinatus modus peccati ex hoc quod peccatur in se ipsum.

Præterea. Quicumque peccat in proximum, peccat in seipsum, & in Deum. Ergo peccatum in proximum, non debet dividi contra peccatum quod est in seipsum, & in Deum.

QUÆSTIO III.

1. Uterius queritur de alia divisione, quæ sumitur secundum nomina. Quia sapientis non est de nominibus curare. Sed Theologus maxime sapiens est. Ergo de divisione peccatorum per nomina non se debet intruere, sed eis uti ut plures uruntur.

Præterea. Sicut delictum dicitur per hoc quod aliquid derelinquitur; ita peccatum dicitur per hoc quod ab aliquo aberratur, cum aversio sit formale in peccato, à quo denominatur. Ergo videtur differentia prima, quam assignat, nulla esse.

Præterea. Per ignorantiam non solum convenit peccare peccato omissionis, sed etiam transgressionis. Cum ergo delictum proprie sonet omissionem, quia dicitur quasi derelictum, videtur incompetens esse illa, scilicet secunda expositio, qua delictum exponitur quod per ignorantiam fit.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum, quod ista divisio assignatur secundum gradus quibus fit progressus ad complementum peccati. Gradus autem isti attenduntur secundum quod unus actus alteri actui additur ad perfectionem peccati: unde oportet quod secundum gradus includat in se peccatum; & ita est quasi divisio totius potestativi. Additio autem actus ad actum potest esse multipliciter, & secundum hoc sunt diversi gradus in peccato. Unde primus gradus peccati est in primo actu peccati, super quem alia adduntur. Hic autem est actus interior, scilicet voluntatis; & hoc est primum membrum divisionis scilicet peccatum cogitationis. Huic autem actui superadditur alius actus exprimens, & designans hunc actum, scilicet actus locutionis; & ideo hoc est secundum membrum divisionis. Iterum super actum locutionis additur actus exterior, quo membra corporis moventur ad consequendum finem voluntatis; & hic erit tertius gradus, & tertium membrum, quod est peccatum operis. Quarto additur actus exterior actui

tui exteriori; & hic est ultimus gradus, & quartum membrum, scilicet peccatum consuetudinis quia cum post actum exteriorum non sit aliquis actus alterius generis, oportet quod ultimus gradus peccati sit secundum multiplicationem huiusmodi actuum.

Ad primum ergo dicendum, quod divisio alicuius potest esse multipliciter: vel sicut generis in species, vel sicut subjecti in accidentia, vel etiam aliis modis, quos Boetius (a) (divis. circa princ. numerat). Divisio ergo generis in species, vel differentias primas, non est nisi una; sed divisio subjecti in accidentia potest esse multipliciter, secundum quod uni multa accidunt. Dicendum ergo, quod divisio peccati in species suas essentielles, est per oppositum virtutis; quia oportet quod sit secundum objectum, ex quo specificatur peccatum, & virtus; & talis distinctio peccatorum hic non ponitur; sed ponuntur quedam distinctiones secundum aliqua peccati accidentia; & ideo non est inconveniens, si sunt plures.

Ad secundum dicendum, quod in peccato cogitationis intelligitur omne peccatum quod in solo interiori actu consistit; & ideo includitur etiam affectio, sine qua nullum peccatum est.

Ad tertium dicendum, quod quamvis lingua sit exterior membrum, tamen inter alia est magis propinquum interiori actu, secundum quod congruit (1) locutioni, quia locutio est signum interioris actus; & ideo quemdam gradum habet in progressu peccati locutio, inter peccatum cogitationis, & operis.

Ad quartum dicendum, quod consuetudo est quedam circumstantia aggravans peccatum ex multiplicatione ipsorum actuum, & ideo in consuetudine est ultimus progressus peccati; & ideo non ponitur consuetudo quasi conditio contra actum simpliciter, sed conditio contra actum non consuetum, sicut est in divisione totius potestatis.

Ad quintum dicendum, quod secundum opinionem illorum qui dicunt, quod in peccato omissionis requiritur aliquis actus interior, vel exterior, peccatum omissionis includitur in peccato cogitationis, locutionis, & operis; & similiter secundum alios qui dicunt, quod non requiritur ibi actus exterior; quia sic facere includit non facere, & sic de aliis, ut supra dictum est.

SOLUTIO II.

Ad id quod ulterius queritur, dicendum est, quod sicut omnis virtus est iustitia quodammodo, ut dicit Philosophus V. Ethic. (cap. 11.) ita omne peccatum est iniustitia. Iniustitia autem est ex hoc quod detrahitur alicui quod sibi debetur; & ideo iniustitia habet quasi (2) duo objecta; scilicet illud quod detrahitur, & hoc est proprie materia actus, & unde peccatum specificatur; & ille cui detrahitur, sicut homo cui per iniustitiam aufertur res sua; & penes hoc objectum sumitur hæc peccati divisio: quia homo aliquid debet Deo, sibi, & proximo. Deo debet amorem, & reverentiam, & huiusmodi: unde quando ab his deficit, dicitur peccare in Deum. Sibi debet munditiam, & ordinationem sui sub regimine rationis, & huiusmodi; & quando in his deficit, dicitur in seipsum peccare. Proximo autem quæ debeat planum est; & quando in his deficit, dicitur in proximum peccare; & idem est; si contraria horum faceret.

(1) Al. in locutione. (2) Al. decet duo.
Ex Edit. P. Nicol. (a) Ut videre est Lib. I. in Porphyrium à Victorino translatum ferre ab initio, sed plenius, & expressius in tractatu qui de divisione inscribitur.

Ad primum ergo dicendum, quod non dicitur homo in Deum peccare, quia Deum in aliquo lædat; sed quia Deo subtrahit quod ei debet, & quantum in ipso est, ejus gloriam minuit; quamvis hoc facere non possit.

Ad secundum dicendum, quod quilibet naturaliter seipsum amat; & ideo unusquisque amat hoc quod se esse aestimat. Quidam autem aestimant, & vere, se esse id quod secundum intellectum sunt; quia hoc homo est homo; & ideo appetunt sibi ea quæ sunt bona secundum intellectum; & rationem vel directe vel indirecte. Quidam vero aestimant se esse quod non sunt, & falso, propter naturam sensibilem, quæ exterius apparet; & ideo diligunt in se naturam sensibilem, appetentes ea quæ sunt secundum sensum delectabilia; & quia huiusmodi sunt mala eis; & nociva secundum id quod vere sunt, ideo sibi ipsis nocent, & se odiunt actu, non affectu.

Ad tertium dicendum, quod hominem diligere se, nihil aliud est quam se Deo velle uniri, quia homo se propter Deum debet diligere; & ideo in dilectione Dei includitur dilectio sui ipsius. Non autem peccatum quod est in Deum, est ratio peccati quo homo in seipsum peccat; & ideo non est similis ratio utrobique.

Ad quartum dicendum, quod distinctio ista sumitur secundum illud in quod directe peccatur. Sed quando aliquis peccat in proximum, peccat quidem in se ipsum, & in Deum, sed ex consequenti; & similiter quando peccat in se, peccat in Deum; & è converso; & ideo objectio non procedit.

SOLUTIO III.

Ad illud quod ulterius queritur, dicendum, quod ista divisio peccatorum quæ est secundum nomina attenditur penes ea ex quibus actus regulatur, scilicet præcepta legis; & hoc dupliciter: quia vel secundum distinctionem præceptorum in se; & sic delictum respicit præcepta affirmativa, & peccatum præcepta negativa: vel secundum quod diversimode peccans à præceptis deficit: quia vel deficit à præceptis secundum rationem per ignorantiam; & sic est delictum; vel secundum voluntatem per contemptum, & sic est peccatum; & sic patet ratio duplicis expositionis.

Ad primum ergo dicendum, quod sapiens bene curat nomina, secundum quod exprimunt proprietatem rerum, & non propter se; & quia ex diversis rationibus peccatorum essentielles eorum differentia inveniuntur, ideo non fuit inconveniens hanc divisionem ponere.

Ad secundum dicendum, quod quamvis peccatum nominet aversionem: tamen proprie loquendo non nominat aversionem, sed magis actum aversioni conjunctum: differt enim ommissio ab aversione: ommissio enim dicitur propter defectum actus debiti, sed aversio propter recessum à fine.

Ad tertium dicendum, quod qui ignoranter aliquid facit, involuntarius facit; & ideo magis peccat in hoc quod cognitionem eorum dimittit quæ teneretur cognoscere, quam in hoc quod talia agit; & propter hoc peccatum per ignorantiam, delictum potest dici.

AR-

ARTICULUS III.

Utrum divisio capitalium vitiorum sit competens.

1.2. quæst. LXXXIV. art. 4. & de malo quæst. VIII. art. 1.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur incompetens esse divisio vitiorum capitalium quæ in littera ponitur. Quia illud ex quo oriuntur alia, & quod aliis peccatis principatur, videtur esse peccatum caput. Sed superbia, ut dicit Gregorius (super Job cap. xxxiv.) est ex qua omnia peccata oriuntur, & est quasi regina omnium peccatorum. Ergo ipsa sola debet dici vitium capitale, vel saltem ipsa, & avaritia, ex qua alia oriuntur, ut in littera dicitur.

2. Præterea. Capitale principale dicitur. Sed quod imperfectam rationem peccati habet, principale peccatum non est. Cum ergo veniale imperfectam rationem peccati habeat, videtur quod peccatum veniale non possit esse peccatum capitale. Sed multa de istis vitiis quæ inter capitalia computantur: & fere omnia; quandoque sunt venialia. Ergo inconvenienter dicuntur capitalia.

3. Præterea. Capiti respondet membrum. Sed vitia quæ ex istis vitiis hic numeratis oriuntur, dicuntur à Gregorio filia, & non membra. Ergo ista vitia non debent dici capita, sed matres.

4. Præterea. Proverb. vi. 16. ubi dicitur: *Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima ejus*: dicit Glossa, quod numerantur ibi septem vitia capitalia. Sed nullum eorum quæ ibi dicuntur, est aliquid eorum quæ hic numerantur: Ergo videtur quod sint ad minus quatuordecim.

5. Præterea. Non est aliquid vitium quod interdum ex alio oriri non possit. Si ergo capitale vitium est ex quo alia oriuntur, videtur quod omnia peccata sint capitalia.

6. Præterea. Plura sunt vitia quam virtutes: quia uni virtuti plura vitia opponuntur. Sed virtutes principales sunt septem: tres theologice, & quatuor cardinales. Ergo peccata capitalia debent esse plura quam septem.

7. Præterea. Fides est fundamentum virtutum, ut dicitur Rom. xi. Sed infidelitas fidei opponitur. Ergo infidelitas debet computari inter vitia capitalia, præcipue propter id quod dicitur Sapient. xiv. quod infandorum idolorum cultura, omnis mali principium est, & origo.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod vitium capitale dicitur vitium ex quo alia vitia oriuntur: unde in hoc differt capitale peccatum à radice peccati, quia capitale peccatum est peccatum quoddam, radix autem peccati non est peccatum: si proprie sumatur, ut ex prædictis patet. Peccatum autem ex peccato oritur quatuor modis, ut supra xxxvi. distinctum est. Unus modus est ex parte aversionis, secundum quod gratiam privat, qua privata, homo in peccatum ruit. Sed ista origo non est nisi per accidens, quia primum peccatum causat secundum, sicut removens prohibens: caput autem nominat per se originem: & ideo per modum istum non potest dici proprie vitium capitale. Alio modo ex parte conversionis, secundum quod ex actu peccati.

In II. Sent. Tom. II.

(1) Vulgata: *Procul odoratur bellum, exortationem &c.* (2) Nicolai ubique *acedia.* (3) Al. proportionem.

cati relinquatur habitus, & ex habitu iterum procedit actus; & secundum hanc originem non potest dici vitium capitale, quia hic non est origo peccati ex peccato directe, sed mediante habitu. Alio modo peccatum oritur ex peccato, inquantum unum peccatum alteri materiam administrat, sicut luxuria gula: & quia res non habet esse secundum materiam, sed secundum formam; ideo non complete oritur peccatum ex illo peccato quod materiam præstat; & propter hoc nec adhuc invenitur perfecta ratio capitalis vitii. Quarto modo oritur peccatum ex peccato quod ordinatur in finem illius, sicut cum quis ad habendum pecuniam furatur, furtum ex avaritia nascitur: & quia in moralibus species est à fine, ideo hæc est formalis, & completa origo peccati ex peccato; & secundum hanc originem proprie dicitur vitium capitale, & salvatur ibi metaphora capitis, secundum quod principem alicujus exercitus caput in exercitu dicimus, quia princeps est exercitus, ad cuius bonum totus exercitus ordinatur, ut ex X. Metaphys. (text. LII.) patet: & per hunc modum illud vitium ad cuius finem alia ordinantur, caput eorum dicitur. Et ideo Gregorius ponit vitia capitalia quasi duces exercitus, & alia vitia quæ ex eis oriuntur, ponit exercitus eorum, exponens illud Job. xxxix. 25. (1) *Audit clamorem dum, & ululatum exercitus.* Et quia finis semper est magis appetibile eo quod est ad finem, ideo oportet ut illa peccata præcipue capitalia dicantur in quorum fines appetitus corruptus magis natus est tendere. Huiusmodi autem sunt peccata illa quæ circa principalia objecta sensibilibus potentiis sunt: quia ex corruptione sensualitatis peccata in nobis oriuntur. Appetitus autem sensibilis in duas vires dividitur, scilicet irascibilem, & concupiscibilem, Concupiscibilis autem objectum est delectabile, & conveniens secundum sensum: & ideo peccatum capitale quod in concupiscibili est, vel est ex hoc quod inordinate desiderat delectabile secundum sensum, vel ex eo quod inordinate fugit impedimentum huiusmodi delectationis. Si primo modo, hoc est dupliciter: vel ex eo quod appetitus tendit in id quod est ordinatum ad delectabile sensus, cuiusmodi sunt bona exteriora; & sic est *avaritia*: vel ex eo quod appetitus inordinate tendit in ipsum delectabile sensus. Perfecta autem delectatio secundum sensum, est secundum tactum, & gustum, prout est tactus quidam, quia est secundum applicationem ipsius rei ad sensum: & ideo circa delectabile tactus absolute est unum vitium capitale, scilicet *luxuria*; & circa delectabile gustus, prout est tactus quidam, est aliud, scilicet *gula*. Sed ex eo quod fugitur inordinate impedimentum delectationis sensibilis, est (2) *acedia*, quæ est tedium spiritualis boni, secundum quod impedit delectationem aliquam dissolutam. Objectum autem irascibilis proprie est arduum, vel magnum aliquid in quod homo niritur. Ergo capitale peccatum in irascibili potest esse dupliciter: vel ex eo quod irascibilis inordinata fertur in arduum; & sic proprie est *superbia*, vel *inanis gloria*: vel ex eo quod contra tendit ad id quod est ardui impedimentum. Sed hoc potest esse dupliciter: quia illud impeditivum contra quod tendit, vel impedit directe in contrarium agendo, sicut impugnant aliquem impedit (3) promotionem ejus; & sic est *ira*, quæ est appetitus in vindictam: vel indirecte; & sic est *invidia*, quæ est dolor alieni boni.

Fff

ni,